

praedictus pelvis et urceus non sit praescriptus in rubricis Missalis, quaeritur: Num continuari, licere possit, vel saltem tolerari praefatus usus?

VI. Altare maius in aliquibus ecclesiis huius Dioecesis exstat super cryptam in qua sunt plura cadavera humata, ita ut altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptae. Quaeritur ergo: An licitum sit in praedictis Altaribus Sacrosanctum Missae Sacrificium peragere, quamvis in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, respondendum esse censuit:

Ad I. Detur Decretum n. 3448 *Societatis Iesu* II Maii 1878 ad I et II.

Ad II. Processio in casu continuari potest, sed celebrans pluviali indutus deferat Reliquiam S. Crucis D. N. I. C. et cum eadem in reditu tantum ad altare maius populum benedicat iuxta Decretum n. 2324 *Brixien*, 15 Septembris 1736 ad I absque versiculo et Oratione B. V. M., et ad mentem.

Ad III. *Quoad primam partem*, aspersio Chori per contactum sustinenda non est, utpote Decretis contraria praesertim Decreto n. 2013 *Leodien*. 27 Septembris 1698 ad II, III et IV: *Quoad secundam partem*, Oratio dicta debet ante Altare ab eo qui fecit aspersionem, iuxta Decretum n. 1122 *Cusentina* 19 Iulii 1659; et *quoad tertiam partem*, Celebrans et Ministri qui adspersione tem-